



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXIII. De effectu Sacramentorum qui est character.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Obijciunt 1. August. qui loco à nobis citato & alibi dicit, non esse credendum antiquos Patres nullo Sacramento opitulatos fuisse infantibus.

Resp. August. non sumere Sacramentum sicut communiter à Scholasticis sumitur, neque sumere pro signo externo, sed latiori significatione, prout idem est quod mysterium seu secretum: quod optime potest fidei applicari, quia virtus fidei ad delendum peccatum originale non fuit ita cognita, quamvis ipsa paruulis prodesset. hanc esse mentem Augustini patet ex loco de nuptijs citato, ubi dicit superioribus temporibus latuisse Sacramentum iustificationis ex fide.

Obijciunt 2. quod infantes debuerint initiari cultui diuino more hominibus accommodato, & proinde signo aliquo externo; cum homo constans animo & corpore Deum etiam corpore colat. Confr. non solum fides, sed etiam fidei professio, est ad salutem necessaria.

Resp. fidem abunde sufficere ut infantes apud Deum iniciantur, & proinde non necessariò debuisse initiari externo signo: cuius signi necessitas proacquirenda iustificatione non apparet vel ex Scripturis, vel ex Patribus: quamuis enim homo constans animo & corpore suam fidem facile protestetur signo externo, & ut iam dictum est facile moueatur ad huiusmodi actum ex fide interiori, non tamen est necesse asserere illum fuisse necessarium ad paruulorum iustificationem. Ad confr. respondeo fidei professionem non semper esse ad iustificationem vel salutem necessariam.

Contra: si sola fides suffecerit, & quidem informis, ut supra dictum est, ante baptismi institutionem facilius erat salus paruulis quam post baptismum institutum, quod nullo modo est concedendum, cum sit certa & receptissima sententia viam ad salutem in lege euangelica esse faciliorem quam in lege Mosaica, vel natura.

Resp. 1. pene idem sequi, quamuis signum aliquod externum requireretur: cum enim illud saltem pro alijs quam pro masculis Iudæorum non esset determinatum, sed quodlibet posset assumi, etiam preces; deberet dici facilius medium delentis peccatum originale, quam in noua lege, in qua est unicum ordinatum medium, scilicet baptismus, & proinde absurdum quod videtur sequi ex nostra sententia, sequitur etiam ex altera: atque adeò propter illud potius dicendum esset non fuisse remedium etiam indeterminatum ad tollendum peccatum originale, quod est contra communem Doctorum etiam prioris sententiæ.

Resp. ergo 2. neg. assumptum: cum enim pauci ante Christum natum veram fidem habuerint, & proinde non potuerint facile moueri ad fidem paruulis applicandam, seu ad applicandum remedium contra peccatum originale, quod in lege euangelica facile applicatur, & dictis non sequitur infantes olim facilius potuisse iustificari quam in noua lege.

Obijciunt 3. Patres docent adultos per sacrificia sibi consuluisse contra peccatum originale; igitur etiam censent signum externum fuisse necessarium pro paruulis.

Resp. neg. consequentiam, cum expressè sentiant solam fidem sufficere, quam omni actui externo opponunt, non autem soli sacrificio prout censent aliqui contrariæ sententiæ: nam particula, etiam vim habet, & in hunc sensum potest accipi, neque vel leuiter apparet Patres aliquem externum actum requisuisse.

Adde adultos potuisse obtinere remissionem peccati originalis sine sacrificio per actum internum dilectionis Dei.

Obijciunt 4. ex dictis sequi antiquos potuisse consulere infantibus in vtero materno constitutis, cum per fidem interiorem potuerint illos Deo offerre; consequens autem non videtur admittendum.

Resp. neg. sequelam, quia de illis nihil habemus ex Patribus, cum semper loquantur de paruulis natis ex vtero. Adde quod constituti in vtero non fuerint humano more inter homines, quibus pro eo statu per alios consuli potuerit.

Circa dicta hoc & præcedenti dubio aduerte, quod dictum est de fide in Christum &c. non ita intelligendum, quasi iudicemus explicitam fidem in Christum &c. fuisse necessariam: solum enim volumus per fidem parentum eis applicatam illos potuisse liberari à peccato originali, siue ea fides debuerit esse explicita, siue implicita, de quo 2.2. in materia de fide agendum est.

Ex dictis facile colligitur resolutio eius quod art. 3. præcedentis questionis in hunc locum reieciimus, scilicet ante legem scriptam fuerint aliqua Sacramenta propriè dicta, præter circumcissionem: ex ijs enim colligitur non fuisse, cum non videatur Deus instituisse vlla signa, quæ sanctitatem etiam legalem contulerint, & veram animæ sanctitatem præfigurant.

104.

Obiectio 4.

De infantibus adhuc in vtero.

Resp.

Corollar. Ante legem scriptam nullum fuit Sacram præter Circumcisionem.

QVÆSTIO LXIII.

De effectu Sacramentorum qui est character.

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in animâ?

R

ESPONDET affirmatiuè. vbi

Notandum 1. sensum tam articuli quam conclusionis esse indefinitum. nam docet in genere aliqua Sacramenta characterem imprimere.

Notandum 2. V Vicleffum, ut refert V Valden- sis tomo 2. doctrinalis fidei cap. 109. sentire nullum Sacramentum characterem imprimere; quem hac in parte passim sequuntur nostri temporis hæretici.

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 9. §. Ad questionem Opinio potest dici, quamuis admittat characterem, censet

tamen neque autoritate neque ratione euidenter probari posse, & proinde videtur existimare sententiam que asserit per aliqua Sacramenta imprimi characterem, solum esse probabilem, in quod etiam inclinat Gabriel eadem dist. quæst. 2. art. 2. conclusione 1. Durand. dist. 4. quæst. 1.

Sed sententia D. Thom. vera est contra hereticos, quam passim tradunt Doctores; & est de fide certa, definita in Florent. in quo definitur baptismum, confirmationem & ordinem characterem id est spirituale quoddam signum à se ipsis distinctum imprimere in anima, indelebile; & in Trid. sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere. Eadem veritas traditur

Resp. affirm.

Error Wicleff.

Resolutio est de fide.

Florent.

Trident.

Cap. Maior.

ab Innocentio 3. capit. *Maiores* de baptismo & eius effectu, estque totius Ecclesie consensu recepta.

Cap. Ad abolendam.

Ex quo sequitur hæreticum esse qui senserit characterem per nulla Sacramenta imprimi, iuxta cap. ad abolendam de hæreticis, & sententiâ excommunicationis inmodari. Falsa proinde est hæreticorum calumnia dicentium, Innocentium 3. primum excogitasse characterem per Sacramenta imprimi, quæ calumnia ex ipsomet capitulo *Maiores* citato refellitur. Item ex eo quod Patres hanc veritatem tradiderint, quam ex traditione apostolica videantur accepisse: nam alioquin rem quæ ex sola ratione probari non potest, nunquam tam constanter assensissent.

3.

Non satis prob. ex Script.

a. Cor. I.

Aliqui hanc veritatem probant ex Scriptura. Verum si quis diligenter perpendat loca Scripturæ adferri solita, non videntur sufficienter intentum probare. nam inter cætera illud Apost. 2. ad Cor. I. *Qui autem confirmati sunt vobiscum in Christo, & qui unxi nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* minus videtur efficax, cum varij consignationem, de qua agit Apost. velint fieri per gratiam sanctificantem. omisâ ergo Scripturâ, apertè

Prob. ex PP. Cyrill.

Probatur ex Patribus. Cyrillo Hierosolymitano præfatione in catecheses §. *Magnum est.* ubi ait: *Magnum est præpositum hoc baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile.* quibus postremis verbis constat illum censere baptismum imprimere characterem, cum omnis alius baptismi effectus deleri possit. Nazianz. oratione 40. quæ est in sanctum baptismum in principio, ubi inter cæteras baptismi laudes ponit, quod sit sigillum, quia conservatio est ac dominationis significatio. quibus verbis inter baptismi effectus ponit sigillum seu characterem. August. epist. 23. in medio dicente: *nam si christiani baptismi Sacramentum quod unum atque idipsum est, etiam apud hæreticos valet & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat, quæ consecratio verum quidem fecit hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem.* Libr. 6. de baptismo contra Donatistas cap. 1. ante medium; ubi postquam docuisset baptismum per hereticos collatum non emundare à peccato, ait: *habere tamen & dare & accipere baptismi Sacramentum, satis eluxit pastoribus Ecclesia catholica toto orbe diffusa, per quos postea plenarij Concilij auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam tunc quæ fors errabat & dominicum characterem à fallacibus depradatoribus suis foris acceperat, & veritatem ad christianæ unitatis salutem ab errore colligi, à captivitate liberari, characterem tamen dominicum in ea agnosce possis quàm improbari.* quibus verbis ostendit per baptismum imprimi characterem; quam sententiam pluribus alijs locis tradit.

Nazianz.

August.

4.

Prob. ratione.

Probatur etiam ratione theologica. Constat etiam apud hæreticos aliqua Sacramenta repeti non posse; cuius rei non potest alia solida ratio adferri, quàm quod imprimant characterem, iuxta Flor. & Trident. supra. Nam quod dicunt hæretici idcirco baptismum repeti non posse, quod sit ingressus in Ecclesiam; non est solidum, si per ipsum baptismum character non imprimatur, ratione cuius is qui Sacramentum recepit, semper censetur ad Ecclesiam pertinere. si enim nihil simile imprimatur, cur baptizatus exire nequeat & redire, atque adeo baptismum iteratò recipere?

2. Dominus aliqua Sacramenta instituit, non

tantum ad propriam suscipientis iustificationem, sed etiam ut per ea diuino cultui peculiariter deputaretur; v. g. ut homo per Baptismum initiaretur fidei, intraret in Ecclesiam, & fieret capax aliorum Sacramentorum recipiendorum: per Confirmationem consecraretur & deputaretur ad liberam fidei professionem, ut tanquam Christi miles eius fidem liberè profiteretur: per Ordinem constitueretur dux in Ecclesia & Sacramentorum minister. fuit autem conueniens imprimi aliquod signum permanens, per quod homo ad huiusmodi spiritualia deputaretur, & distingueretur ab alijs hoc modo non deputatis.

Dices: etiam nobis fatentibus non sunt aperta testimonia Scripturæ ad probandum characterem per aliqua Sacramenta imprimi, ergo verius est huiusmodi characterem non esse effectum Sacramentorum.

Resp. neg. consequentiam; eum enim confet ex Conciliorum definitionibus & Patrum sententijs, per quædam Sacramenta imprimi, etiam constat illum esse Sacramentorum effectum ex Christi institutione; cum effectus Sacramentorum non proteniat ex humana voluntate. Adde quod Ecclesia nunquam rem tanti momenti tradidisset, nisi ex Apostolorum doctrina hausisset. Quod si aliqui hanc doctrinam non ita habuerunt perspectam, non obstat, nec eam facit minus certam postquam ab Ecclesia est definita.

Ex solutione ad 2. aduerte characterem spirituale habere rationem signi in quantum per sensibile Sacramentum imprimitur. hac enim ratione est sensibilis in causa: nam per hoc aliquis cognoscitur baptismali characterem esse insignitus, quod sit ablutus aqua sensibili sub certa verborum forma, atque adeo cognoscitur distinctus ab ijs qui huiusmodi characterem non receperunt.

Circa solutionem ad 3. aduerte antiqua Sacramenta nullum characterem spirituale impreffisse, eò quod nullam in se virtutem spirituale haberent. quod etiam de circumcisione videtur intelligi, iuxta doctrinam D. Thom. supra relatam, & tenent communiter Theologi. vide Sotum dist. 1. q. 4. art. 1. in fine; quamvis aliqui minore cum fundamento existiment circumcisionem impreffisse spirituale characterem.

ARTICVLVS II.

Vtrum character sit spiritualis potestas?

RESPONDET esse spirituale potestatem ad ea quæ pertinent ad diuinum cultum.

DVBIVM I.

Vtrum character sit aliquid reale ab anima & eius potentij distinctum?

VARIE sunt hæc de re sententiæ. 1. Est Dur. dist. 4. q. 1. docentis characterem solum esse relationem rationis ex diuina ordinatione vel pactione, quæ aliquis deputatur ad sacras actiones, sicut ratio pretij in pecunia est relationis orta ex humana institutione. quam sententiâ in re ipsa censet probabilem Sotus dist. 1. q. 4. art. 2. §. *Hæc sententia* quatenus censet esse probabile characterem in re non distingui à subiecto.

2. Est

Characteris effectus in varijs sacramentis.

Instantia.

Resp.

Antiqua Sacramenta non impreffissent characterem.

6.

Resp. aff.

1. Sententia Durandi. Esse relationem rationis.

2. Est

1. Est Scoti dist. 6. quest. 10. ante §. sed restant, existimantis esse relationem realem.

Conferat esse qualitatem aliquam supernaturalem ab anima eiusque potentij realiter distinctam. Ita Scotus supra §. At vero; & communius Theologi saltem recentiores.

Hæc sententia est omnino verior & conformior Concilijs Flor. & Trid. definitibus per quædam Sacramenta imprimi in anima (characterem, id est spirituale quoddam signum indelebile, qua loquendi forma designatur aliquid reale ab anima distinctum.

Probat: quod non distinguitur realiter ab aliquo, non ita propriè dicitur imprimi in illo; cum ergo Concilia tradant characterem in anima imprimi, satis insinuant illum realiter ab anima distinctum, quia non est vlllo modo verisimile Concilia minus propriè illam vocem usurpare.

Confir. hæc impressio designat veram & realem actionem; ergo debet habere terminum realem in anima productum: non potest autem dici habere, si character nihil dicat reale; cum anima quæ secundum Concilia est subiectum characteris non possit in se produci, in se imprimi. Adde quod Concilia velint per Sacramenta, anime accedere aliquid quod antè non habebat, quodque illi imprimatur.

Confir. 2. Concilia dicunt illud signum esse indelebile, per quod rursum videntur designare aliquid reale ab anima distinctum.

Ex his patet contra Durandum, characterem non esse solam relationem rationis in anima resultantem, sed esse verum ens reale, quod est signum distinctum, & spiritualis quædam potestas; quod etiam est conformius dictis sanctorum Patrum agendum de characterē: potestque ex eo confirmari, quod sit longè perfectius deputari per realem aliquam qualitatem ad peculiaria exercitia diuini cultus, quam per nudam destinationem nihil ponentem reale in deputato; ergo verius est Deum ita fecisse; quemadmodum reddit nos gratos per intrinseca ornamenta, & nos ordinat ad fidei, charitatis &c. opera per internas virtutes.

Nec obstat quod character ponatur in specie signi, quia multa entia realia possunt rationem signi participare; vt patet tum in alijs rebus, tum in iis in quibus Sacramenti ratio constituitur.

Sequitur etiam contra Scotum, non esse solam relationem realem; tum quod actio qualis est impressio characteris non tendat ad relationem, sed ad aliquid aliud ex quo resultet ratio: tum quod ratio relationis, quam ponit Scotus, non sit assignare fundamentum; tum quod ratio non ita commodè vocetur signum spirituale.

Adverte 1. hanc qualitatem esse distinctam à gratia sanctificante; quod satis patet à posteriori. Nam gratia non semper confertur quando recipitur Sacramentum, vt patet in indispósito accedente ad baptismum, qui non recipit gratiam, cum tamen recipiat characterem, cuius signum est quod non possit iteratò baptizari. 2. gratia per baptismum collata deperdi potest; character autem est indelebilis, homo per gratiam in Sacramento receptam nō deputatur speciali ratione ad peculiaria diuini cultus exercitia; deputatur verò per characterem, & per characterem Ordinis deputatur ad Sacramenta conficienda; per characterē Baptismi redditur habilis ad recipienda Sacramenta; per characterem Confirmationis tanquam miles Christi

deputatur ad liberam & constantem fidei professionem.

Ex quo obiter patet, quid sit character. est enim aliquod reale signum, quod vel per modum potentie passiuæ, vel per modum potentie actiuæ, hominem destinat ad cultum diuinum. Character quidem Baptismi destinatur per modum potentie passiuæ ad recipienda Sacramenta; alij verò se habent per modum potentie actiuæ.

Adverte 2. characterem ad sui infusionem non requirere aliam dispositionem in subiecto quam requirat substantia Sacramenti; & proinde quisquis recipit Sacramentum imprimens characterem, recipit etiam characterem. Ratio est quod de lege Dei ordinaria repugnet tale Sacramentum recipi, & hominem non destinari ad diuinum cultum.

Confir. Sacramenta quæ solent characterem imprimere, nunquam iterantur; ergo signum est quod quando cumque valide recipiantur, characterem imprimant.

Ex quo sequitur in Sacramentis characterem imprimentibus omnem eum qui recipit Sacramentum, recipere characterem, quauis gratiam interdum non recipiat. Vltèrius sequitur characterem æqualiter imprimi in singulis idem Sacramentum recipientibus: cum enim immediatè consequatur Sacramenti substantiam, non datur iuxta dispositionis qualitatem & præstantiam: vnde ex eo capite non recipit magis & minùs; nec aliud caput facillè potest assignari, propter quod aliquando præstantior conferri debeat.

Difficultas est de sententia Durandi utrū aliquam notam mereatur? Suarez disputat. 11. sect. 2. asserit eam nunc non posse ab errore in fide vindicari, propter allatas Conciliorum definitiones, nunquam etiam potuisse vindicari à temeritate, quando quidem non videtur differre ab errore hæreticorum negantium characterem imprimi, cum hi non difficulter admitterent huiusmodi relationem rationis, verum hæc censura videtur nimis grauis, pro quo

Notandum quod dum Durand. asserit characterem esse relationem rationis, solum velat excludere realem qualitatem in anima existentem, vt satis patet ex eadem quæstione sub finem; & proinde non velat negare conditionem quandam moralem, quæ ex diuina deputatione dici possit in anima resultare, quemadmodum enim ex diuina deputatione, qua Deus elegit David in regem, dictus est rex absque vlllo reali ipsi inharrente, & obtinuit dignitatem regiam tanquam aliquid morale moraliter ipsum afficiens; ita videtur Durand. velle, quod ratione Sacramenti Deus deputet hominem ad cultum diuinum, quam deputationem cōsequitur in homine quædam conditio, qua homo censetur ad talem cultum destinatus, quam conditionem Dur. vocat relationem rationis, & in similibus antiqui Theologi consimili loquendi forma vtuntur. Alij saltem recentiores vocant moralem conditionem, & plerique recentiores huiusmodi morales conditiones admittunt: hanc conditionem Dur. libenter admittit perpetuò manere, & proinde characterem dici indelebilem, ex his

Dico 1. hanc Durandi opinionem nullo modo coincidere cum hæreticorum sententia, nam vt omittam hæreticos negare Ordinem & Confirmationem esse Sacramenta, satis constat ipsos nolle per Ordinem deputari hominem ad Sacramenta conficienda, similiter velle eum, qui iuxta illos fuit sacerdos,

10.

Quid sit Character.

Cerollar.

Character a qualis est in omnibus.

II.

Difficultas. Sententia Durandiana notam aliquam mereatur?

12.

Iudicium auctoritatis de sententia Durandi.

posse

V 2

posse fieri laicum, & proinde nolle quidquam indelebile esse in anima sacerdotis, quidquid tandem illud sit, cum tamen Durand. sentiat Ordinem esse Sacramentum, per quod homo deputetur ad Sacramenta conficienda, ita ut illa deputatio humana potestate impediri non possit quin valide exeat in actum. Idem proportionem intelligendum de Confirmatione: similiter & de Baptismo; quem licet haeretici admittant esse Sacramentum, volunt tamen solum esse signum ad fidem, in nobis excitandam. videri potest Vasquez disp. 134. cap. 2.

Dico 2. praedictam sententiam non videri nunc censendam haeticam propter praedictas Conciliorum definitiones, quia verbum, *imprimi*, potest sine fidei detrimento paulatim accipi, pro resultantia relationis rationis, vel concessione moralis potestatis; ergo propter hoc verbum non videtur sufficiens ostendi esse de fide characterem esse realem quandam qualitatem realiter ab anima distinctam. 2. non potest idem efficaciter ostendi esse de fide, ex eo quod in praedictis definitionibus dicitur indelebilis, quia licet esset relatio rationis, posset dici indelebilis potestate humana, in quo differret a doctoratu &c. quae humana potestate deleri possunt.

Confir. Sotus qui has definitiones non ignoravit censet Durandi sententiam non esse improbabilem, & explicat quomodo aliqua ratione saluari possit non obstantibus praedictis definitionibus.

Dices: quomodo ergo ex illis supra ostensum est characterem esse qualitatem realem realiter ab anima distinctam?

Resp. nos probasse ex vi verborum magis propria: quod quidem facit ut contrarium sit minus probabile, non tamen statim efficit haeticum, nam ad hoc posterius requiritur ut verba nulla probabilitate aliter possint explicari: quod in praesenti non ostenditur.

D V B I U M . II.

In qua specie qualitatis character reponatur?

Dico, *qualitatis*; nam cum in dubio praecedenti ex communiori Theologorum sententia sit constitutum characterem esse aliquid reale realiter ab anima distinctum, in quo fundatur ratio signi non possit autem esse substantia, tum quia substantia animae non potest inherere, tum quia character est quid supernaturale, nulla autem substantia creata est supernaturalis; non possit etiam esse quantitas, cum haec sit affectio corporalis, nullo modo proportionata animae rationali spirituali; sequitur omnino supponendum characterem esse qualitatem, quo supposito

Controvertitur inter Doctores in qua specie qualitatis reponatur, suntque variae sententiae.

Prima reponit in 4. specie, ita Marsilius in 4. quaest. 4. articulo. 1. conclusione 7. quia dicitur figura. Hac sententia est improbabilis: nam figura est terminus quantitatis, & proinde solis rebus corporalibus potest competere: character autem est res quaedam supernaturalis & spiritalis, quae solum metaphoricè dicitur figura, ex quo non coonfiscitur verè reponi in 4. specie qualitatis.

Secunda sententia censet in nulla specie rectè reponi, quia se habet per modum instrumen-

ti; reponi verò rectè in 2. specie, ita D. Thom. hic in corp. Caiet. hic circa dubium 2. Communiter Thomistae & plures alij absolute ponunt in eadem specie.

Tertia reponit in 1. specie, ita multi Theologi cum Alensi 4. parte quaest. 19. membro 1. articulo. 2. Suarez disp. 11. sect. 3. Vasquez disp. 134. cap. 3.

Resp. & dico characterem reponi in 1. specie qualitatis.

Probat: character se habet per modum cuiusdam habitualis dispositionis, quae non oritur ex naturae principijs, per quam subiectum moraliter disponitur & deputatur ad aliquid recipiendum vel operandum; disponitur, inquam, non ex naturali rei exigentia, sed ex alterius ordinatione, scilicet Dei statuentis, ne nullus Sacramenta valide recipiat, qui non sit baptizatus; item ut nullus Sacramentum valide conficiat qui characterem Ordinis non habeat: (excipio baptismum & matrimonium, istalis autem dispositio pertinet ad 1. speciem qualitatis, ut patet ex descriptione 1. speciei in praedicationibus).

Confir. 1. character non oritur ex principijs naturae subiecti in quo est, & proinde non potest collocari in 2. specie cum potentia naturalis quae constituit 2. speciem qualitatis, oriatur ex principijs naturae, sitque instrumentum naturae ab illa emanans necessitate naturali. Quod si character non sit 2. speciei qualitatis, relinquatur ut constitutatur in prima; cum in nulla alia commodius possit collocari.

Confir. 2. character baptismalis non potest poni in secunda specie, eo quod sit potentia passiva, nam si res bene perpendatur, nihil ponitur in ea specie eo quod sit potentia passiva; quantitas enim quae communi sententia est immediatum subiectum accidentium materialium, & proinde respectu illorum se habet per modum potentiae passivae, non reponitur in hac specie. 2. character baptismalis non est vera potentia passiva, cum non sit subiectum receptivum Sacramenti: nam sacramentalis actio versatur circa corpus, vel saltem est quid corporale, cum tamen character sit spiritalis; ergo etiam si passiva potentia reponeretur in secunda specie, non ideo in ea reponendus esset character.

Confir. tota sacramentalis actio quoad substantiam potest exerceri circa non baptizatum; ergo non requirit characterem tanquam potentiam passivam. Neque etiam idem character requiritur propter rationem Sacramenti, cum illa non exigat potentiam passivam physicam.

De characteris Ordinis similiter ostendi potest non esse potentiam actiuam physicam, quia tota actio physica sacramentalis poni potest ab eo qui non est insignitus characteris ordinis; id verò per quod constituitur in ratione Sacramenti, non requirit potentiam actiuam physicam, ut ex dictis patet. Neque etiam est principium physicum productivum gratiae. 1. quia ipsum Sacramentum probabiliter non producit gratiam physicè. 2. ipsum Sacramentum est quod gratiam confert, unde cum non sit potentia activa physica respectu actionis sacramentalis, neque etiam est respectu effectus Sacramenti, seu gratiae. similiter dicendum characterem in ministro non esse potentiam physicam actiuam respectu alterius characteris imprimendi per Sacramentum.

Restat igitur ut character se habeat per modum

Vasq.

Sotus.

Tres sententiae. Marsil.

Alensi. Suarez. Vasquez.

14.

Resolutio. Character ponitur in 1. specie qualitatis.

15.

Character non est potentia physica activa vel passiva.

um potentie cuiusdam moralis, per quam subiectum reddatur capax vel ad suscipiendam validè sacramenta, vel ad eadem validè ministranda ex alterius institutione: propter quam rationem nullo modo debet reponi in secunda specie qualitatibus, sed in prima.

Dices 1. character requiritur ad substantiam actionis sacramentalis quia talis est; ergo non est reponendus in prima specie, cum in hac specie reponatur id quod non requiritur ad substantiam effectus seu actionis, sed ut facilius fiat.

Resp. neg. consequentiam, 1. propter iam dicta. 2. quia etiam aliquid necessarium ad substantiam actionis potest reponi in prima specie, ut patet in fide, charitate, & alijs virtutibus supernaturalibus, quæ non solum requiruntur ut actus supernaturalis facilius producat, sed etiam ut ponatur ipsa substantia, cum naturalis potentia, v. g. voluntas, nequeat etiam difficulter entitatem actus amoris supernaturalis ponere, nisi concurrat charitas; (vel saltem auxilium speciale), ex quibus exemplis virtutum supernaturalium potest resolutio confirmari: quod scilicet prima & secunda species qualitatibus non distinguantur ex eo capite quod in probatione consequentiæ adfertur, sed ex eo quod secunda species ex naturæ principijs oriatur, prima verò non, sed aliunde adueniens subiectum disponat ad operationem.

Dices 2. nullus potest habitu bene & malè uti; atqui possumus bene & malè uti characterem, ita D. Th. hic argumento sed contra.

Resp. distinguendo maiorem, si enim intelligatur hoc sensu, quod nullus possit habitu bene vel malè uti in ordine ad mores, negatur; nam artifex potest ex malo vel bono fine opera artis facere: si vero ita intelligatur, quod nullus possit bene vel malè uti habitu in genere naturæ, in ordine ad id ad quod talis habitus inclinatur, conceditur nec inde potest concludi quod character non sit habitus, si enim ponatur principium actuum, nullus eo ita vitiose utitur, ut effectus eius non sequatur, v. g. sacerdos nunquam ita utitur characterem quin consecret, si alia requisita adfuerint, licet possit eo bene vel malè uti moraliter.

Ad minorem etiam Resp. characterem propriè non videri principium physicum, ut dictum est, sed morale, se habens per modum conditionis ex voluntate Dei requisita, ut minister validè exercet actionem sacramentalem, est enim forma qua insignitur à Deo is qui ab eodem deputatur ad aliquam sacramenta conficienda, & proinde potius est signaculum & dispositio qua subiectum in se afficitur.

ARTICVLVS III.

Utrum character sacramentalis sit character Christi?

AFFIRMAT.

Notandum characterem sacramentalem non idcirco dici characterem Christi, quod sit similis characteri in Christo existentij, cum nullus in Christo fuerit character, quippe qui per unionem hypostaticam fuerit sacerdos; sed idcirco dici characterem Christi, quod à Christo deriuetur, & per eum fideles ordinentur ad exercitium cultus Dei & Christi, nam per characterem baptisma-

lem homo insignitur ut sit capax Sacramentorum à Christo institutorum; per characterem Confirmationis deputatur tanquam miles ad liberam fidei professionem; per characterem Ordinis deputatur ut sit minister Christi tanquam sacerdotis supremi, quemadmodum ergo character quo aliquis miles est insignitus, dicitur illius ducis, à quo & cuius militia inscriptus est: ita character sacramentalis optimè dicitur character Christi.

ARTICVLVS IV.

Utrum character sit in potentijs animæ sicut in subiecto?

18.

RESPONDET quod character sit constituendus in animæ potentia, cum sit quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alijs tradendum ea quæ sunt diuini cultus, qui consistit in quibuldam actibus ad quos ordinantur potentia.

Notandum hac de re plures esse sententias, nam ut omittam Durand. dicentem non esse quærendum in quo sit character tanquam in subiecto; hi qui ponunt characterem esse realem qualitatem, varie inter se de præfenti questione opinantur.

D. Thom. hic ad 3. censet esse in intellectu, quia quæ sunt diuini cultus pertinent ad intellectum, suntque fidei quædam professio, eius sententiam communiter sequuntur Thomistæ & quidam alij.

Scotus in 4. dist. 6. quæst. 11. Dico ergo, censet esse in voluntate; tum quia character est dispositio ad gratiam, quam reponit in voluntate, tum quia est signum obligationis hominis ad Deum, homo vero obligatur per actus voluntatis.

Alij constituunt immediatè in ipsa animæ entitate seu substantia. Gabriel distin. 9. quæst. 2. artic. 3. dub. 2. quatenus dicit, etiam posita distinctione animæ ab eius potentijs, probabile esse quod character sit immediatè in animæ essentia, eamque tenent multi recentiores. Bell. lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 19. propositione 4. Suarez disp. 11. sect. 4. in quinta sententia. Vasquez disp. 134. cap. 4.

Hæc sententia videtur verior. Ratio est quod character non sit habitus operatiuus, sed solum disponens subiectum secundum se; igitur non est ponendus in potentia operatiua. Antecedens probatur: character est signaculum quoddam quo insignitur homo deputatur ex diuina voluntate ad aliquam sacramenta suscipiendam vel conficiendam, in quo nullum designatur operationis principium; & satis patet ex dictis quod non possit esse potentia actiua physica respectu Sacramenti vel gratiæ. Consequenter probatur: habitus qui non est operatiuus, non constituitur in potentia seu subiecto immediatè operatiuo; quod ostenditur. In potentia cognoscitiua tria possunt concipi inesse, actus, species, habitus, per actum ipsa potentia vitaliter sibi representat obiectum; species concurret ex parte obiecti ad eundem actum producendum cum potentia; habitus datur vel ut coadiuuat potentiam ad actum facilius producendum, ut respectu actuum naturalium, vel ut illam eleuet ad producendos actus supernaturales. vnde patet in potentia cognitiua non inueniri habitum non operatiuum.

Resp. affir.

Varie sententia. Durand.

S. Thom.

Scot.

Gabr. Bellarm. Suarez Vasquez

19.

Resolutio Authoris. Character videtur ponendus immediatè in anima.

In potentijs nihil est præter actum aut principium actus.

Confir.

V 3

Confir. potentia conceditur naturæ tanquam ipsius instrumentum ad operandum; igitur quidquid in ea inuenitur quod non sit ipsamet operatio, debet se habere per modum principij respectu operationis. Idem proportionem dicendum est de voluntate; in qua solum inuenitur actus & principium concurrens ad actum.

20.

Obiectio 1. Dices 1. potest dari aliquid ipsam potentiam ad actum disponens, quamvis non sit principium operationis.

Resp.

Resp. negatiue. vel enim dicitur potentiam disponere ut agat, & ita dispositio debet esse principium, cum potentia non possit dici disponi, eo quod aliquid positum in ea destruat & corrumpatur, quod impediatur actum, sed solum dicatur disponi, quia dispositio adueniens adiuvat vel eleuat potentiam ad operandum, atque adeo ipsamet dispositio debet cum potentia esse operationis principium: vel dicitur potentiam disponere ut actum recipiat, & id frustra fingitur, cum potentia sufficienter instructa ad suum actum producendum, sit sufficienter disposita ad illum recipiendum, neque indigeat noua dispositione ut actum recipiat, cum illum in se producat.

Confir. præcisè pro actus receptione nullus constituit dispositionem in potentia. Adde licet huiusmodi dispositio dari posset ad actus receptionem, non propterea characterem constituendum in potentia, cum non disponat ad actus receptionem, nam Sacramentum ad quod character diceretur disponere, non est in potentia, ut ex dictis facile potest colligi.

Obiectio 2. Dices 2. character Confirmationis & Ordinis se habet per modum potentie actiue moralis; ergo ex eo potest constitui in potentia.

Resp.

Resp. negando consequentiam, quia ut res constituitur in hoc vel illo subiecto, non tam debet attendi eius conditio moralis, quam naturalis: si ergo character secundum naturalem suam conditionem non sit actiue, non debet propter rationem allatam constitui in potentia.

21.

Ad rationes
aliarum
sententiarum.

Ex his non difficulter solui possunt rationes aliarum sententiarum.
Ad rationem D. Th. Resp. characterem non debere constitui in intellectu ex eo quod hominem disponat ad ea quæ sunt diuini cultus, & ad quandam fidei professionem, quia solum disponit per modum signi, signum vero non necessariò est in eadem potentia cum eo ad quod dicitur disponere. ut signum iudicialis potestatis non est in anima in qua potestas illa censi posset constitui. unde licet fidei professio aliquo modo pertineat ad intellectum, non propterea ad eundem character debet pertinere.

Ad primam Scoti rationem Resp. eam assumere aliqua falsa, aliqua incerta. Falsum est characterem esse dispositionem ad gratiam, cum gratia & character sint duo effectus Sacramenti, quorum vnus propriè nullam habet ab altero dependentiam. Incertum est, num gratia sit in voluntate; multi enim probabiliter eam constituunt in animæ essentia.

Ad secundam Resp. 1. characterem non tam esse signum obligationis, quam cuiusdam deputacionis ad cultum diuinum.

Resp. 1. quamvis esset signum obligationis, non ideo necessariò deberet esse in voluntate. i. quia obligatio non minus potest dici esse in anima quam in voluntate. quamvis enim obligatio sit ad ponendos actus voluntatis vel intellectus &c. ipsa

tamen dici potest animæ essentiam afficere. 2. quia signum obligationis non semper est in eo in quo est obligatio, ut patet in signo seruitutis quod imprimitur in corpore, cum ipsa seruitutis obligatio non sit in corpore.

ARTICVLVS V.

Utrum character insit animæ indelebiliter?

22.

RESPONDET affirmatiue.

Resp. affir.

Aduerte conclusionem intellectæ de tempore huius vitæ esse de fide; ut patet ex Concilijs Flor. & Trid. citatis; quod etiam patet à posteriori ex eo quod Sacramenta characterem imprimuntur non possint, g. non possint repeti baptismus, quantumvis baptizatus in heresim incidat, & postmodum eam deserens redeat ad Ecclesiam.

Ratio est quod character à solo Deo tanquam causa efficiente & conseruante dependeat, neque vllam physicam vel moralem dispositionem, quæ possit corrumpi, requirat ad sui conseruationem, neque character ipse habeat aliquod contrarium à quo possit formaliter expelli. Confir. ut character imprimatur in anima solum requiritur ut Sacramentum validè recipiatur; quo valore posito independentem ab omni dispositione imprimatur; igitur non apparet per quid impossibile possit destrui, & proinde ponendus est indelebilis.

Hinc fit ut quantumvis à superiore prohibeatur sacerdoti ne consecret, inungat; validè tamen illa faciat, si adsint requisita ad Sacramenti confectionem; quod etiam est dicendum de degradato.

D V B I V M

Utrum character ita sit indelebilis ut etiam post hanc vitam remaneat?

SERMO propter definitiones Ecclesiæ quibus character indelebilis dicitur in anima imprimi, nullo modo esse de fide quod post hanc vitam remaneat; nam sine vllò erroris periculo dici posset characterem esse indelebilem, quamdiu homo degit in hac mortali vita; immò id solum videtur intendisse Concilia, quo supposito

Merito quæritur potest num remaneat in altera vita: cum enim constet dependere à Deo ut conseruetur, & non appareat ratio cur conseruetur post hanc vitam, quandoquidem definit finis propter quem character imprimitur, non videtur post hanc vitam remanere.

Confir. 1. quod damnatos, character est forma quadam supernaturalis, & magnum animæ ornamentum, per quod ipsi animæ bene est; Deus autem non videtur vllum ornamentum supernaturale relinquere in damnatis eius inimicis.

Confir. 2. etiam si damnatus nullum infidelitatis actum in hac mortali vita eliciuerit, priuatur fidei habitu.

Confir. 3. si character remaneret in damnatis, diceretur remanere ad illorum confusionem, ut videlicet habeant signum quo dignoscantur aliquando in Christi Ecclesiâ intrasse, vel in eadem tanquam Christi milites fuisse inscripti, vel tanquam duces in eadem præfuisse; quod tamen non

videtur

videtur verum, cum neque ipsi in quibus inest character illum possit videre, neque alij damnati; nam character, utpote res supernaturalis, non potest viribus naturæ cognosci; non fit autem verisimile Deum specialiter eleuare potentiam damnatorum ad eliciendam noticiam supernaturalem. His tamen non obstantibus

Resp. & dico verius esse characterem per Sacramentum impressum remanere post hanc vitam. Ita D. Th. hic ad 3. quem communius sequuntur alij.

Probatur à posteriori: si baptizatus moriatur & ad vitam reuocetur, non debet denuo baptizari; igitur signum est characterem baptismi in eo remanere. Similiter sacerdos reuocatus ad vitam potest absque noua ordinatione functiones Ordinis exercere; igitur character Ordinis in eo remanet. Consequentia probantur, ratio cur tam ab Ecclesia in suis definitionibus, quam à Doctōribus hæc Sacramenta dicantur non posse repeti, est quod character per illam impressus in anima remaneat. Item passim supponitur à Doctōribus quod nullus possit validè consecrare, absolueret &c. qui non sit characteris sacerdotali insignitus; ergo &c.

Ratio est quod licet character à Deo depēdeat in sui conseruatione, quemadmodum cetera entia creata, quia tamen ab eo solo dependet nec habens contrarium, nec requirens aliquam dispositionem cuius interitu esse desinat, non est dicendum Deum desinere illum conseruare; cum Deus non desinat conseruare res ab eo solo dependentes, nisi vrgens aliqua ratio sublit, qualis hic non apparet, ut patet ex solutione eorum quæ in contrarium sunt proposita.

Ad argumentum itaque Resp. quamuis desinat exterior cultus per Sacramentorum receptionem vel administrationem, non tamen desit rationem propter quam character remaneat, & à Deo conseruetur, scilicet ut permaneat signū distinctiū, & appareat quāquam peculiariter Christi signo fuerat insigniti.

Ad primam confirmationem Resp. characterem in damnatis remanere ad eorū confusionem, ut D. Th. loco citato. peculiaris enim erit confusio damnatis, qui relictis Christi castris cuius characteris sunt insigniti, ad eius hostem transierunt, itaque id quod animam ornare potest, non tam erit illis ad gloriam quam ad ignominiam.

Ad secundam confirmationem Resp. magnam esse differentiam inter fidem & characterem, quod fides sit dispositio ad iustificationem; unde cum damnati sint incapaces iustificationis, mirum non est si Deus in illis fidem non cōseruet. Adde quod per affectum ad fidem requiratur; damnati autem habent voluntatem à Deo auersam. Unde licet aliquis nullam dispositionem fidei repugnantem in hac vita posuisset, quia tamen cum primum damnatur, per voluntatem auertitur à ratione obiecti fidei, statim priuatur fidei habitu. Character vero non datur tanquam dispositio ad iustificationem, sed ut sit signum quod aliquis deputeretur ad Sacramenta recipienda, vel ministranda, quod si signum potest etiam in initio conseruari ad eius confusionem.

Ad tertiam Resp. i. posse damnatis magnam confusionem creare quod beati videant in illis signum Christi quo insigniti fuerunt. 2. non videri etiam improbabile quod Deus ad maiorem eorum cruciatum peculiariter concurret, tum cum ipsis, tum cum alijs dānatis, ut hunc characterē videant.

Hic peti potest i. num anima separata validè posset exercere actus ordinis positā materiā?

Resp. non posse, tum quia anima separata non possunt actionem sacramentalem pōnere, utpote per corpus exercendam; tum quia talis anima non est homo, nec agit modo communi & humano inter homines, & proinde non perseverat in ea deputatio ordinaria (de qua agimus) ad Sacramenta conficienda, licet in eadem physicè remaneat signum huius deputacionis, quæ fuit in homine quamdiu egit inter mortales.

Petes 2. an saltem homo post communem resurrectionem validè possit huiusmodi actus exercere? videtur sentire D. Th. quæstione sequenti art. 7. ad 2.

Sed omnino verius est nō posse. Ratio est quod character non sit potentia naturā suā effectiua Sacramenti, sed tantum sit signum quod aliquis sit deputatus ad Sacramenta suscipienda, vel ministranda; quæ deputatio bene potest cessare pro aliquo statu, licet in eo signum deputacionis remaneat, cessare verò deputacionem post communem resurrectionem, videtur insinuare D. Th. art. præsentis ad 3. dicens quod post hanc vitam cessabit exterior cultus; & facile potest ostendi: Sacramenta à Christo instituta sunt tanquam media quibus homines ad salutem promoueri possint, atque ita sunt instituta pro viatoribus; igitur in patria cessabit vsus Sacramentorum, & per consequens deputatio ad illa conficienda, & proinde in patria homo characterē ordinis insignitus non poterit validè exire in actum.

Nec contrā sentit D. Th. nam loco in contrarium citato solum dicit beatum in corpore posse Sacramentum validè conficere, si videlicet inter mortales degeret; quod est probabile, quantumuis haberet corpus gloriosum; & tenet Suarez disput. 13. sect. 1. §. Atque ex his omnibus. Sotus dist. 1. quæst. 5. art. 7. §. Verumtamen hic non obstantibus. Henriquez lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 27. §. 2.

ARTICVLVS VI.

Utrum per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character?

CONCLUSIO est negatiua; quæ patet ex Flor. & Trid. aliquoties citatis. Ratio est quod non per omnia Sacramenta homo deputeretur ad aliquid recipiendum vel agendum quod pertineat ad diuinum cultum, sed solum per tria scilicet Baptismum, Confirmationem, Ordinem.

Notandum quod cum per hæc Sacramenta etiā gratia conferatur, character non sit propriè dispositio ad gratiam, nec è contrā, sed sint duo effectus eiusdem Sacramenti, inter quos non est naturalis dependentia vel connexio, neque in subiecto dispositio vni propriè prius naturā infunditur, quāuis character infundi possit sine gratia, ut ex dictis patet.

Petes an hæc tria Sacramenta principaliter sint instituta propter gratiam, an propter characterem.

Resp. Baptismum primariò institutum propter gratiam; nam primariò est institutus ut sit spiritalis quædā generatio, quæ fit per gratiam. Idem dicendum videtur de Confirmatione, quæ est & dicitur complementum & perfectio baptismi. Sacramentum verò Ordinis videtur principaliter institutum

26. Quæstio 1.

Anima separata non potest validè exercere actus Ordinis.

Quæstio 2.

Sed neque homo post communem resurrectionem.

27.

Possit tamē forte beatus, si degeret inter mortales. S. Thom. Suarez. Sotus. Henriquez.

Resp. neg.

28.

Quæstio 3.

Baptismus & confirmatio primariò sunt instituta propter gratiam; Ordo propter characterem.

stitutum propter characterem, cum principaliter sit institutum ob bonum Ecclesiæ, ut videlicet in Ecclesia essent aliqui qui alijs Dei dona ministrarent; quia tamen ad hæc dignè præstanda requiritur gratia in ministro, secundario fuit institutum ad gratiam conferendam.

QVÆSTIO LXIV.

De causa Sacramentorum.

ARTICVLVS I.

Utrum solus Deus operetur ad effectum Sacramenti?

I.



IVVS TH. præfenti quæstione tractaturus de causa Sacramenti, & de auctoritate ad eius institutionem necessaria, hunc præmittit articulum, ut ostendat cuinam tanquam causæ principali conueniat interiorum Sacramentorum effectum attingere, & cuinam tanquam ministro possit competere.

Resp. Solus Deus est causa principalis, effectus Sacramenti.

Respondet autem solum Deum interius operari effectum Sacramentorum tanquam causam principalem, hominem vero posse operari tanquam ministrum. Prior pars patet quia solus Deus est causa principalis gratiæ, ut traditur 1. 2. quæst. 112. art. 1. est etiam solus causa principalis characteris. 2. pars patet ex eo quod Ioan. 20. dicatur, quorum remiseris peccata remittuntur eis; & ex forma absolutionis quæ ad sui veritatem requirit ut homo operetur effectum Sacramenti, quod qua ratione verum sit, explicatum est supra q. 62.

ARTICVLVS II.

Utrum Sacramenta sint solum ex institutione diuina?

2.

Resp. affir.

CONCLUSIO est affirmatiua: quæ potissimum intelligitur de Sacramentis nouæ legis; quamquam etiam de Sacramentis legis veteris possit verificari, quia etiam Deus illorum est auctor; ut patet tum ex Scriptura, tum ex eo quod præcipua legis veteris ceremoniæ ab auctore illius legis debuerint procedere. Sed est

D V B I V M.

Num omnia Sacramenta nouæ legis sint immediatè à Christo instituta?

Quidam DD. vult. negare.

QVIDAM antiqui Doctores videntur negare; item nostri temporis hæretici, sed Doctores infra explicabuntur, hæretici non tam negant Sacramenta à Christo instituta, quam aliqua quæ Ecclesia agnoscit pro Sacramentis. Itaque in præfenti quæstione non videntur formaliter differre à Doctores catholicis.

3. Conclusio affirmans. Trident.

Dico omnia Sacramenta nouæ legis sunt immediatè à Christo instituta.

Probatur 1. ex Concilio Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, his verbis: Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino

nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, & anathema sit.

Probatur 2. ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4. auctor Sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus? 3. si Sacramenta essent instituta ab humana potestate maximè dicenda essent instituta ab Apostolis, qui tamen solum fuerunt dispensatores mysteriorum Dei. 1. ad Cor. 4. 4. satis constat Ecclesiam non posse mutare ea quæ sunt de substantia Sacramentorum, quod tamen posset si humana potestate essent instituta.

Petes quo certitudinis gradu conclusio sit tenenda? Sotus dist. 1. quæst. 5. art. 2. §. Dubitatio autem, censet quidem esse temerarium eam negare, non tamen hæreticum, cui subscribit Suarez disp. 12. §. 1. sect. 1. conclusio 1. Estius dist. 1. §. 16. censet tantum esse probabiliorum, ita ut alteri sententiæ probabilitatem tribuat.

Sed alij probabilius asserunt esse de fide, ita ut contrarium sit hæreticum, quod tandem de Confirmatione censet Suarez disp. 32. sect. 2. §. dicendum, idque propter prædictam Trid. definitionem, quæ tamen non aliter vrget de Confirmatione quam de alijs Sacramentis. Et tomo 4. disp. 39. sect. 2. idem censet de extrema vñctione, ex eodem can. & ex can. 1. de extrema vñctione, sess. 14.

Probatur 1. definitio Conc. Trid. relata id vult, si verba in proprietate sumantur, prout sumi debent verba Conciliorum in eorum definitionibus; ergo &c. Antecedens ostenditur: qui non instituit aliquid per se, sed solum alteri tribuit potestatem instituendi, non est dicendus institutore: cum ergo Concil. definit omnia Sacramenta nouæ legis fuisse à Christo instituta, censetur definire esse immediatè ab illo instituta.

Confir. ex eo quod Deus reliquerit Ecclesiæ potestatem leges condendi, leges quas condit Ecclesia non dicuntur diuinæ, nec dicuntur à Deo institutæ.

Confir. 2. idem Concil. longè aliter loquitur de ceremonijs præscripto Ecclesiæ in administratione Sacramentorum adhiberi solitis, eadem sess. can. 13. neque huiusmodi ceremoniæ solent dici à Christo institutæ, eo modo quo Concil. vult Sacramenta à Christo instituta; cum tamen ita dici posset si mediata institutio sufficeret ut aliquid dici posset à Christo vel Deo institutum.

Confir. 3. Concil. can. 1. citato vult nullum Sacramentum esse ritum humanum humana potestate præscriptum, contra hæreticos nostri temporis; quamvis ergo in sua definitione non posuerit particulam immediatè, sensus tamen verborum & scopus Concil. eam exigit.

Probatur 2. idem Concil. sess. 14. can. 1. de extrema vñctione, extremam vñctionem definiens à Christo Domino nostro institutam, & à beato Iacobo promulgatam, communi sensu censetur definire eam immediatè à Christo esse institutam; cum ergo in proposito can. 1. de Sacramentis in genere, eadem loquendi formâ quoad omnia Sacramenta vtatur, omnino dicendum velle definire singula esse immediatè à Christo instituta.

Dices, posteriori loco non tantum dicit Sacramentum extremæ vñctionis à Christo institutum, sed addit & à beato Iacobo promulgatum; item damnat docentes esse ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; quæ inculcatione satis ostendit se velle definire esse immediatè à Christo